Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2727
Quelle:
Copyright:

fontes habentur in Collectione *Hittorpiana de div. Cath. Ecclesiae Officiis. Colon.* 1568. f.

V. *fol.* 11. p. 2. ἀνεπιγραφος *Dialogus* sequitur, cujus argumentum ex initio discitur: *Velim scire si ex regula s. benedicti eximii preceptoris monachorum esus uolatilium indultus sit sanis monachis* &c. Sub finem ita decidit Collocutor alter: *His igitur rationibus et auctoritatibus freti constanter asserimus consuetudinem monachorum qui excepta reparatione uirium post grauem egritudinem sibi indulgent esum cuiuslibet carnis uel sagine quod pene unum et idem est. et legi et rationi exemplisque patrum antiquissimorum esse contrariam et ideo falce iusticię resecandam.* Autorem Benedictinum fuisse constat e decursu; non tamen eum in *Ziegelbaueri Hist. Lit. Ord.* P. III. c. 1. *Sect.* 1. reperi, ubi §. 5. p. 24. B. *Hildegardis* contrarium sensisse dicitur, cui Noster συγχρονος esse potuit. Tractatum similem dedimus *Cod.* DCCCCLXIII. n. 20.

VI. *fol.* 24. Miscella quaedam, videlicet: 1. Sermo in Paschate: *Hęc est dies quam fecit dominus* &c. *Hodie resurrexit dominus* &c. 2. Sermo exponens, *quomodo hec tria in sacro uolumine scripta sint. lamentationes. carmen et ue.* Initium: *Pensandum ergo nobis est quomodo* &c. 3. Adplicatio Textus *Cantici Cant.* c. 3. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon* &c. ad Ecclesiam. 4. *In Cęna domini.* Expositio triplicis Ritus hoc initio: *Tria hec que hodierno die fiunt in ecclesia. spiritualiter in nobis et a nobis sunt agenda. id est introductio penitentium. consecratio chrismatis. excussio et benedictio noui ignis* &c. 5. *De XXIIII. candelis.* Initium: *Notandum est quid in se spiritualis contineant misterii XXIIII. candelę que bis tribus noctibus solent accendi* &c. Ad Matutinum videlicet triduo ante Pascha, hodie XV. imminuto nempe Psalmorum numero. 6. *In Parasceven Lectio.* Initium: *Ait Moyses. Sumite de sanguine agni ac ponite super utrumque postem* &c. adjuncta *Gregorii* M. expositione: *Sanguis agni est quem bibimus* &c. 7. *Genealogia beatę Marie matris dei.* Initium: *Esmeria et anna fuerunt sorores* &c. 8. VII. *Generationes hominum.* Initium: *Dictum est quod nulli liceat cognatam suam ducere* &c. Hinc de prohibitione Nuptiarum usque ad septimam generationem, et quomodo Generationes computentur 9. *De Missa.* Brevis commentatio hoc initio: *Missa legatio dicitur. Totum tempus quo christus mundum intrauit* &c.

VII. *fol.* 32. p. 2. *Incipit dialogus magistri hugonis de creatione mundi.* Initium: Quaerit Discipulus: *Quid fuit prius quam mundus fieret?* Respondet Magister: *Solus deus.* D. *Quamdiu prius fuit?* M. *Ab eterno.* &c. Quaestio ultima: *Quid dicendum est de pueris ante octauum diem morientibus. quoniam ad illud remedium peruenire non potuerunt?* Resp. *Hoc dei iudicio relinquendum mihi uidetur.* Quanquam *Hugonem a S. Victore* intel-